



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hermannii Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines  
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

**Conring, Hermann**

**Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680**

I. Permissio mali triplex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9585**

## RATIO X.

*Sententia hujus probabilitas.*

**P**Atrocinantur igitur huic Paci multiplex ratio & autoritas, ut illicita secundum se dici non queat, sed tutò, in tantis præsertim necessitatibus, Theologi eam svadeant & Principes sequantur. Auctores Compositionis Pacis c. 5. q. 29. n. 52. etiam fœdus perpetuum cum sectariis per aliquas circumstantias coherestari posse credunt. Tanner. to 3. disp. 1. q. 9. dub. 3. assert. 2. id quidem non affirmat, sed neque negat. Plurium Theologorum suffragia haberemus, si occasio hâc de re scribendi se pluribus obtulisset. Quæ in diversam partem afferuntur, ut docta sint, merè tamen scholastica sunt: Consiliis & Theologiis practicis nunc opus est.

## SECTIO III.

Quædam in hac ardua quæstione præ oculis habenda.

## I.

*Permissio mali triplex.*

**P**ermissionem mali triplicem distinguunt Gerardus de Senis, & Joannes Andreas in reg. peccatum. de Reg. Juris in 6. Item Angelus aliquique Summiste & Theologi, ubi agunt de Usuris. Prima est permisso simplex indulgens pœnam, ut cum ob multitudinem, aut potentiam delinquentium delicta non puniuntur. Secunda & indulget pœnam & præterea prohibet, ne alii malum intempestive impedian vel tollant. Sic Ecclesia non solum tolerat ritus Iudæorum, sed prohibet quoque, ne Christiani festivitates eorum impedian, cœmeteria invadant, personas occident, &c. sicut de Judæis. c. Qui sincera, dist. 45. Tertia est cooperans & adjuvans, quæ malum non solum tolerat, idque impe-

impedientes coercet, verum etiam promovet, auget, defendit, vel est pars actionis criminosa sive peccati. Sic Pilatus permisit quidem, non praecepit Christum crucifigi, *cum tradidit eum voluntati Iudaorum*. *Luc. 23 v.25*, sed cooperatus est tanto sceleri praestando Judicis autoritatem, & satellites aliaque executionis adminicula suppeditando.

## II.

*Permissio qua licita vel illicita.*

Permittere malum primo & secundo modo, ut majus bonum obtineatur, vel majus malum inpediatur, licitum est. Ut triusque permissionis exemplum praebet divinum regimen. Prioris, cum benignitas Dei peccatum dissimulando peccatores adducit ad penitentiam. *Rom. 2.v.4*. Posterioris, *sinendo Zizania crescere in que ad messem, nobisque prohibendo, ne cum periculo tritici ea eradicemus*. *Matth. 13*. Extra has duas causas peccant Principes & Magistratus, si scelera manifesta impune tollerant, aut ea corrigerem volentes impediunt. *Non enim sine causa gladium portant, Dei enim ministri sunt, vindices in iram iis, qui malum agunt*. *Rom. 13.v.4*. Tertio modo malum permittere cooperando sive ad juvando, ex se illicitum est, si id, quod permittitur, peccatum est. Hoc genus peccati in Catechismo inter peccata aliena recensetur, & generatim damnatur a S. Paulo *Rom. 1.v.32, quoniam, qui talia agunt digni sunt morte, non solum quie faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Vel maxime autem cooperatio arguit consensum, cuius est effectus & argumentum.

## III.

*Permissionis cooperantis natura.*

Cooperatio duplex est, directa & indirecta. Directa cooperatur malo, qui ea agit qua sapientia natura ad peccatum ordinatur, ut sunt illud stabulire, augere, defendere, vel qui pars est & socius peccati, ut cum servus concubinam invitat ad herum, aut miles pugnat in bello manifeste injusto. Indirecte cooperatur,

N

qui

